

DES. ERASMVVS ROT. ORNA-  
TISSIMO VIRO IOAN-  
NI VLATTENO S. D.



Rduum in primis, planéq; re-  
gium munus est, vir ornatif-  
sime, prudentibus fidisq; con-  
silijs reip. prospicere, quod ni-  
mirum intelligēs Homerus, eum, penes  
quem erat summa rerum, βουλευφόρου ap-  
pellat, nec vlli præclarius de ciuitatibus  
ac regionibus merētur, quum omni qui-  
dem tempore, tum vero præcipue hoc se-  
culo, quo nescio quo fatali tumultu, sur-  
sum deorsum miscētur omnia, siue Chri-  
stianæ religionis statum inspicias: siue mo-  
narcharū ac rerum publicarū conditionē  
reputes, siue studiorū ac literarū rationē  
intueare, vt nō alio tēpore verius fuerit il-  
lud Græcis celebratū, ἱερόν ἢ βαλὴν. Te vero  
in hoc pulcherrimo negotio summa fide,  
mira vigilātia, pariq; dexteritate versantē  
interpellare, fortassis improbū, aut impiū  
etiam videatur: sed quoniā arbitror nō si-  
ne causa præcipere Flaccum, Misce stulti-  
tiam cōsilijs breuem: en adest ab Erasmo

tibi libellus, qui suis nugis aliquantisper  
 auocet animū tuum à grauibus tetricisq̃  
 negocijs. Quāquā hæ nugæ sunt eius ge-  
 neris, vt, quēadmodū ait idē, Seria ducāt:  
 tantum autem absit, vt nihil attineāt ad  
 remp. vt ad te quoq̃ peculiariter spectēt,  
 qui rei scholasticę apud Aquisgranos sum-  
 mam curā susceperis. Multorū enim par-  
 tim ignauia, partim sinistris moribus fit,  
 vt bonæ literæ, quæ sat feliciter cœperāt  
 efflorescere, iam passim vergāt ad interi-  
 tum, & quasi sit hoc parū, extitere pridē,  
 qui nobis veluti nouā sectā moliūtur in-  
 uehere: Ciceronianos sese vocāt, intolera-  
 bili supercilio reijciētes omnium scripta,  
 quæ Ciceronis lineamēta non referūt: &  
 adolescentiā à cæterorū scriptorū lectio-  
 ne deterritā ad vnius M. Tullij supersti-  
 tiosam æmulationē adigunt, quum nulli  
 minus exprimāt Ciceronem, quàm ipsi,  
 qui se huius tituli fumo molestissime vē-  
 ditant iactitantq̃. Quanta vero studiorū  
 pernicies, si persuasum fuerit neminem  
 præter vnum M. Tulliū vel legendū esse,  
 vel imitandū? Subolet autē & aliud huius  
 nominis prætextu geri, nimirum vt pro



Christianis reddamur Pagani, quum ego nihil prius agendū existimē, quā ut bonæ literæ, Christi domini Deiq; nostri gloriā, ea sermonis copia, splendore, nitoreq; prædicent, quo M. Tullius de rebus prophanis dicere solitus est. Et animaduerto iuuenes aliquot, quos nobis remittit Italia, præcipue Roma, non nihil afflatos hoc affectu. Visus itaq; sum mihi rem facturus nec inutilē ad pietatē, & studijs adolescentiæ conducibilē, si lucubratiunculam vnā huic rei darem, non ut eloquentiæ candidatos à Ciceronis imitatione deterream: quid enim infanius? sed ut ostendam quo pacto fieri posset, ut verè Ciceronem exprimamus, & summam illius viri facundiam cum Christiana pietate copulemus. Argumentum hoc dialogo tractauimus, quo simul & minus esset tædij lectoribus, & res facilius illaberetur in affectus iuuenū. Bene vale. Basileæ postridie Idus Februarij,

ANNO. M. D. XXVIII.

LANDES-  
UND STADT-  
BIBLIOTHEK  
DESSELDORF